


praecursus: fabula neophysiológica

auctore stephano berard

locus excerptus e

Capite 6: Tenebrax et Advena



PRIMAE PERSONAE

- Tenebrax
- Veda, potentissima animantia synthetica, biologicorum animantium valde curiosa, quorum imperium theocraticum utopicum, vel forsán “nimium utopicum” vel adeo “ve-utopicum” nomindandum, ob insaniae generalis subitum impetum nuper corrui
- Trebitae, incertae naturae entia, fortasse cursus quantalis¹ commutandi capacia, quae Cladem Vedicam effecisse videntur
- profugi, cum biologi tum synthetici, qui post Cladem Vedicam quoquoversus effugerunt

Calváriae haerēbat cinerācea cutis velut pullus lichē saxō. Ōs labiīs carēbat. Dentēs ē pulvere compāctō coagmentātōque compositōs esse compertum erat. Amoenitatem pōmeridiānam is aspiciēns frīgore suō perforāre poterat. Eum intuenti tibi per oculōs ūsque in loca visceraque prius ignōta percōlābātur gelū. Etiam si familiāris intimusque eius erās, numquam eum ita alloquēbāris ut nōn ūnō duōbusve gradibus incōnsultō retrōcēderēs. Cum eō conversāns illābī vidēbāris īnfestō somniō tē numquam omnīnō relictūrō.

Ob haec, quae saltem dīcēbantur, plūraque amābant eum multī. Intuitus gelidus eius iūcundum membrīs iniciēbat horrōrem, perniōne titillābat, torridine frīgidā vellicābat. Halitūs eius hiemem oblectātī tremēbant. Nivis ruīnā eius laeti vorābantur. Montānō ningōrī nōn iam resistere, immō candidō, mollī, aeternō dērelictōrum torpōrī niveō illī pressīs oculīs cēdere dēliberābant.

Quid is faceret quidve facerent ipsī ignōrābant cūctī. Permultī nimis diū in mundō perfectō vīxerant quam ut essent nunc causārum facinorum suōrum cōnscī. Eius ope, ut ita dīcātur, aes aliēnum diū cōnflātum nātūrae suae solvere dēnique incipiēbant. Adversus inmēnsae supernovae omnivoram furiam crepitācillum! Innumera aeva secundum perfectiōnem mōrālem certamque vērītatem ācta ēnervāverant eōs exossāverantque. Ut experīmentī quondam caelestis, nūper irritī factī, reliquiae ūnā cum purgāmentīs ēversae erant ā dīs iam īnsānientibus.

“Moriantur immortalia!” Vastō ab aliquō prōmunturiō sēmōtōque dīrē strepēbat vōx Tenebrācāna quasi ūniversāle cornū nebulāre.

“Morbōviam eant Algorismul² Sacrulī! Nulla iam nūmina animī affectibus nostrīs abūtuntur! Nēmō nōs probōs faciet! Sumus quī quālēsque esse cupimus! Etiam improbīs esse licet nōbīs! Iam fierī possunt omnia! Īnfīnīta patent iterum nōbīs vītāe aequora!”

Haec sānē nōn erant ipsa verba eius. Quae effābātur nēmō ad unguem trānsferre potuisset. Plūra exercēbat is quam mera verba. Ars eius mūsicae erat similior: modīs mūsicīs exsecrābilibus membra concutientibus, dentēs comprimentibus, animum contudentibus.

Figūrae istae circum eum dispositae numquid artificēs erant? Māchināmenta ista īnstrūmenta mūsica? An apparātus medicus? An arma? An aliquid subtīlius...pēiusve?

Immō forsitan dē mūsicā arte nōn agerētur. Saltābātur certē. Quā autem rē? Membrīs an undīs cerebrālībus? Ēlectromagnētīcīs? Tēlepathicīs? Quantālībus? Hoc forsitan frustrā rogārētur cum nihil dēmum nōn ex undīs cōnstāret. Ecquid Trebita erat iste? Ūnus quisque favēbat theōriae cuipiam propriae, sīve expressae sīve tacitae. Dē istō autem quīnam ūtiliter disceptārī potuisset? Dē Tenebrāce? Dē rē sēmimortuā per auris tuae forāmen vermis mōre cottīdiē rēpente? Dē carmine cuius quodque sōlāmen phrenocomīum respiēbat? Dē pūpā īnfer-nālī? Dē animante cuius vīta vidēbātur mors, cuius fōrma parōdia tremenda?

Per planētārum sēmōtīssimōrum aliquot decadēs dispersī satis quidem bene latēre sibi vidēbantur profugī. Ultrā galaxiae vagum marginem fluitābant haec systēmata stēllāria rārīōra ē quōrum planētīs interdum tantum paucae vidēbantur stēllae. Nōnnūllās hīc noctēs dominābātur prope nīl nisi metagalactīcī spatīi altum ātrum paucōrum galaxiārum maculīs sublūcidīs tamquam sēmōtārum casārum dīlūtīs lūminibus distinctum. Sī quae adhūc inter bīlliōnum centēna stēllārum grassābantur passim Veda ā dīs dēlīrīs prōpulsā, hīs extīmīs locīs sēclūsī forsān sēcūrī manēre possent profugī dōnec aut furor sē ipsum ēverteret aut Veda sāna restantia, quōrum nōnnūlla hūc quoque perfūgerant, pācem generālem (nec tamen per sē Vedicam!) stabilīre possent.

Dē Trebitīs appropinquantibus nullus certus, inter incertōs innumerōs, afflābātur rūmor. Plērīque, inter quōs et Veda, nisi in somnīs galaxiā prōrsus effugere potuissent. Itinera inter galaxiās suscipere sciēbant tantum paucissimī prōvectissimī arcānissimī; nec fierī poterat, quod hī saltem adseverābant, ut aliī hanc cito potīrentur habilitātem. Longissimā potius ēvolūtiōne opus esse ut alumnus quisque inter animam et corpus – quod nīl dēmum esse nisi undārum quantālīum sarcinam spissiōrem – facile fluere posset. Nīl enim aliud inter “corporālīa” et “mentālīa” et “spīritālīa” interesse nisi hoc: hōrum undās quantālēs longiōrēs leviōrēs longē mōbiliōrēs esse. Praeter “nicum

Verum” sive “Fontem” sive “Vacuum,” quod verbis cōgitatiōibusve dēscribī omnīnō nequīre, rēs ūniversās dēmum speciēs esse vānās, undārum speciōsum lūsum. Hoc penitus funditusque callentēs undās propriās aequē in lūcem atque in corpora atque, sī ūsus esset, vel in nāvigia metagalactica trānsfōrmāre valēre.

Omnēs populī animum colentēs hoc īnsuper sciēbant: prīmum passum factum, prīmum spīritum ductum, prīmum mōtum tentātum secundum Chaī lēgēs tōtīus īnsequentis reālītātis parametra cōstituere, nōn solum externās sed etiam modōs schēmataque pūnctaque ratiōnis dīrēctiōnisque intrā systēma perceptīvum quodpiam postea ēvolūtum. Quāpropter nullās bīnās exstāre reālītātēs³ omnīnō cōnsimilēs neque ūlla bīna animantia dīversīs fontibus corporālibus exorta eandem prōrsus reālītātem sive reālītātum crēbritātem sentīre. Hoc scīverat ōlim Elel⁴ ille. Secundum hanc ratiōnem explicābātur iam dūdum Lēx Periodicitātis Epistēmologicae.

Contrā spēs simplicēs exspectatiōnēsque prīmītvās eōrum philosophōrum nātūrālium quī animantia planētae dīmēnsiōnīve suae omnīnō aliēna nōndum convēnerant (sī tālēs rēctius “philosophī nātūrālēs” quam “barbarī” vocābantur), congressūs inter speciēs omnīnō dīversōrum orīginum, sī quandō forte effīcī poterant, paene semper significatiōne empīricā indīgēbant. Sīn autem bīnae speciēs sēparātē generātae inter sē tamen significantia commūnicāre poterant (velut multī hēlmānoīdēs Tal-Rī-Guonuaque necnōn Aqāāāāāaqae), hoc cuidam physicōrum perceptīvōrum elementō, “Mātrīcī Harmonicae Impersōnālī” doctē vocātō, tribuēbātur. Etīamsī Veda, hōc prīncipiō frēta, perplexa schēmata rērum quādamtenus, ratiōnibus scīlicet summē artificiosīs, temperāre potuerant, quam quālemque rem tractārent modō tantum incohātissimō intellegēbant. Ea Veda Vedātaque (sīc appellābantur quīdam Vedōrum sociī artificiosī cyborganicque) sāna quae, quōquō modō potuerant, integra effūgerant hancque latebram nacta erant Tenebrācem Mātrīcem Harmonicam Impersōnālem obscurā aliquā arte adhibēre valēre opīnābantur.

Māxima colōnōrum novōrum difficultās erat quod profugae speciēs necessariō magnā ex parte secundum necessitatēs biologiae circumiectōrumque collocābantur nec mōrum percipiendīque modōrum saepe poterat habērī ratiō. Cum hōrum planētārum numerus, sī cum imperiī quondam Vedicī frequentīā cōferēbātur, minimus esset administratiōque longissimē laxior, dīversōrum populōrum sēmeiotypī mūtūō accommodārī saepe nequībant. Eundem planētā, eandem terrae partem vel adeō eandem urbem habitābant saepe tālēs animantium coētūs quālēs inter sē aut aegrē quicquam aut omnīnō nihil inter sē impertīre valēbant. Quibusdam locīs quasi in dēmentium receptāculō dēgēbātur. Compēnsābat autem quod animantibus inter sē māximā ex parte alogīs irritae fierī solēbant rixae.

Omnibus tamen Clādis Vedicae superstītibz ūnum erat commūne: id quod cultūs cīvīlis cēnsōrēs “Fastīdium Māximum” nōminābant, aliōrum mīlia incolārum aliīs dēpingēbant titulīs, ferē idem semper significantibus. Nēmō enim erat quīn aliquā in pschēs suae parte, seu tēctā seu apertiōre,

seditiunculam aliquam movēre cuperet. Nōnnūllae speciēs, nōnnūllī populī, sublātīs subitō praeceptīs ēthīcīs absolūtīs, in vēsāniae abyssum iam dēscenderant. Plērīque tamen īnsidiōsae novae libertātī quōquō possent modō obstiterant. Licentiae novae quīdam per viam aesthēticā, scīlicet per artēs seu ēlegantēs seu populārīōrēs, dēflectēbant perceptiōnem. Multī cottīdiāna quidem sat ōrdinātē modestēque obībant, in ōtīō tamen percussōris sīcārīve seu corruptī pūtīdīve īnsolentem persōnam assūmēbant. Aliī invidiam, īram cēterōsque adfectūs īnfestōs sacrōrum diabolicōrum ope prōfundere didicerant ... idem ferē saepe effīcientēs quod quī tantum oblectāmētī causā speciem maleficōrum induēbant. Erant plānē sat multī quī tālium libīdinum populārium rīdiculum cernerent, quī autem simul temperāre nequīrent quīn et ipsī aliquantum participārent, quī vidēlicet tōta ista saecula mīllenniave longiōrave aeva dulcia proba clāra, utpote imposita, quasi corporibus animīsque abluere vel clam gestīrent.

Ad quod efficiendum idōneum mūnus occupābat Tenebrāx noster, quī fāmam suā populīque studium cottīdīē mīrābātur. Ut hic haud erat tōtīus cosmī eruditissimum perspicācissimumve ēns (rēctius ēns quam *animāns* vocārī vidēbātur), ita tamen eum nōn latēbat ingentem auctōritātem suā innātīs suīs proprietātibus neutiquā congruere quīn sē potius admodum fortuitā fruī fortunā. Aspectū quidem ingeniōque satis appositīs ūtēbātur ut rem probē gerere posset; plūrimum autem pollēbat quod Tenebrāx id genus ēns erat quod “Vibrāns” nōminābātur. Hic prosperitātis fōns ... prosperitātis sānē quidem nōnnihil fallācis sterilisque.

Quōmodo generārentur Vibrantia examussim expōnere valuisset nēmō, quamquam ea ex undārum implicātārum schēmātīs quibusdam perrārō efferrī necnōn Mātrīcī Harmonicae Impersōnālī aliquā coniūcta esse cōnstābat. Inopīnātō exoriēbantur, ad indēfīnītum perstābant, tandem aliquandō velut turbinēs expīrantēs in cosmī animam redībant. Nulla bīna Vibrantia inter sē valdē similia erant, etīamsī animantia eōrum locōrum ubi appārēbant aliquātenus imitārī solēbant. Inter prīmigeniōs vīvāciōra esse solēbant, prōvectiōre in populō rārīōra ac fugītīva ... quārē Tenebrāx hic etiam magis erat mīrandus. Vibrantia prope subtilēs illās sūtūrās exsistēbant quās inter gentēs diffīdentēs reconditāsque et Incognitum Infīnītum discernēbant perspicāciōrēs. Vibrantia interdum ad fīnēs trānsgrēdiendōs allīciēbant animantia singula aut quīn hoc fieret vicissim prohibēbant. Per rēligiōnēs hīc angelīs hīc diabolīs aequiperābantur. Erant quī Vibrantia vērē exstāre negārent, epīphaenomena potius ea esse sive existentiam nec rēctā nec propriē participāre autumantēs.

Ad quam sententiam inclīnābat et ipse Tenebrāx quippe quī sē scīret quōvīs temporis articulō exolēscere posse. Sē exsistere vidērī putābat ob mentem subcōnsciam profugōrum Mātrīcem Harmonicam Impersōnālem coniūctīm temperantem, tālī scīlicet nātūrā praeditum quālī ad tempus forsan opus esset. Quam quidem existentiae suae ēnōdātiōnem nōn excōgitāverat ipse, quīn potius quibusdam in commentārīs populārībuz lēgerat.

Multā nocte post peractum “spectāculum” – sī hōc vocābulō rēctē nōminābātur – Tenebrāx quoddam teres in Variābile⁵ familiāre irrēpere solēbat longiusque ā Fedestopolī ad merīdiem versus, post collium frondōsōrum largum racēmum, in praedio sēmōtō vulgus grātē ēvādēbat. Sat quidem nummōsus erat, nōndum autem opulentissimus. Ad prōcūrātōrēs, chorāgōs, āmanuēnsēs fluēbat lucrī māxima pars; nam quī sē ipsum vērē exsistere diūve perstatūrum dubitābat, huic vel prō propriō bonō validē pacīscī haud facile erat.

Quam autem bene diūque cōstitūtī essent quīdam profugōrum coetūs interdum mīrābātur ille. Ut tempus haud ēmendātissimē percipiēbat, ita tamen īnsolitum vidēbātur eī quod aliī advenae Superōs Vedicōs nūper inter sē calamitōsē bellantēs nārrābant dum aliī haec plūribus annīs adeōve decennīs longiusve abhinc accidisse existimābant. Dē hōc discrīmine in commentāriīs Tenebrācī acceptissimīs complūrēs symbolae ēditae erant; quārum autem ēruditiō captum eius saepe superābant. Intellēxerat plānē quidem itinera cosmica radiōsque vectōrēs⁶ biotemporalēs⁷ temporis perceptiōnem distorquere atque, sī quid forte Trebitae hīc iam efficiēbant, omnium rērum alterna atque inter sē opposita exemplāria quantālīa, nisi extemplō inter sē sēiūncta, cuiusque vītam māximē, immō exitiōsē, implicāre conturbāreque posse.

Ista omnia Tenebrācis mentem nimium onerābant dum domī in pulvīnārī dēsidet, linguā, ut nihilō firmē alligātā, intrā peraridum ōs tamquam serpente scrūpōsō in forāmine tortē trepidante. Cōgitāre cōnantī nimis pauca mentis amplexuī sē praebebant. Tōta quidem vīta eius erat lentus terrae mōtus cōstanter ferendus, cōnsilia nōtiōnēsque omnēs supellex trāns tabulātum sēnsim rēpēs fenestrīsque interdum excidēns. Quiētē recumbēs sē spīrāre sentiēbat, āerem autem īnflārī efflārīque nullō umquam cōfirmātum erat indiciō. Vītābant eum medicī, neque ipse tolerābat scientālēs⁸ siccīs in ossibus suīs gangliōrum vestīgia perquīrentēs. Sē etiam sibi aenigma aeternum fore patienter ferēbat, lacrimālibus apertūrīs utīque cārēns quibus flēvisset.

¹ **quantālis, -e** = artis physicae quantālis sīve (vulgō) “quanticae”

² **algorismus, -ī** = praeceptōrum ōrdō quō problēma mathēmaticum per numerum finītum ratiōnum solvī possit (vocābulum Arabicum Mediō Aevō in Latīnitatem acceptum)

³ **reālītās reālītātis, f.** = omnia ea quae prō vērīs habentur vel ūnicum intrā “mundum alternātum” quantālem

⁴ Hoc est Pelel Elel, quīdam philosophus Vedicus inlūstrissimus

⁵ **Variābile, -is** = cuiusdam cōnfōrmātiōnis Vedum quod seu domicilīi seu vehiculī vicēs praestāre poterat

⁶ **radius vector, radiū vectōris, m.** = quantītās quaeipiam simul viam et magnitūdinem continēs, quae quantītās sagittā repraesentātur cuius cursus viae quantītātem indicat et cuius longitūdō quantītātis magnitūdinem (vulgō *vector*)

⁷ **biotemporalīs, -e** = ad cursum temporālem attinēs secundum quem organismus quispiam vītam suam dēgere sibi vidētur

⁸ **scientālīs, -is, c., sc.** philosophus nātūrālīs

locus excerptus e

Capite 10: Quondam

EXPLICATIO

Hoc caput est carmen epicum in quo depingitur nationis Vedicae ortus.

PRIMAE PERSONAE

- Va (*gen.* Vorum), animantes biologici pauci in Poffolga planeta vivarium quoddam olim habitantes, quosdam autem inter tumultus profugi facti (etiam “bioformae,” “terrigenae,” “autogeni,” “caenigenae” et ita porro)
- synthetici, sc. animantes artificiosi etiam “ficti” et “mechanici” vocati, e quibus ei qui VEDDem sequuntur “Veda” tandem nominari incipiunt
- VEDD (*gen.* VEDDis), Vorum liberator, animans syntheticus quondam Poffolgensis qui Va nunc ad refugium ducit (ut “exsilii auctor”)
- FOMEKF (*gen.* FOMEKFis), navigium animans spatium Poffolgense quondam habitans, terrigenis favens
- TLLBT (*gen.* TLLBTis), animans syntheticus, dux eorum Poffolgensium qui animantibus biologicis infesti atque omnigenis novis animi motibus programmatis, etiam atrocissimis, addicti sunt, auctor scilicet earum rerum novarum quae Vorum fugam movit

...Nāvis cum profugīs biofōrmīs et duce fictō cursum ideō intendit cōnfīnia iam petitūra imperiī. “Clādēs haec...,” affātur biofōrmās FōMEKFemque ex hōc perlonginquī exsilīi auctor, “...ūnica erit nōbīs. Seu praevaleant TLLBTānī, quī valdē cupiunt exstinguere terrigenārum stirpem, seu superet rēs pūblica quae neglegendō autogenōs sēnsim minuit, mundōrum ubicumque cōnsistāmus, synthetici dūcent nutrientque atque fovēbunt autogenōs et cētera vīva, ut ratiōnālēs ita et expertēs ratiōnis, patria quō nova sit rōbustior atque salūbris nec simul usquam syntheticiīs ingrāta nocēnsve! Vīvat lenta carō! Tenerī vīvant animālēs quī prope cosmī Magnam Animam spīrant resonantque fīrmātī ingeniō celerī nostrō solidisque vīribus arte novā factīs dūrōque metallō!” Posthāc affectūs animī spondet sibi ductor sanctē sē nullōs aliōs sibi subiūctūrum. Eōs putat imprīmīs fugiendōs quī salacōnēs efficiant sīve ambiōsōs sīve philautās; sōlum illōs retinendōs quī tōtī condūcant Vītae: tantum mēchanicīs quantum biofōrmīs. Immō quidnī cōnsilium hoc causā autogenōrum impōnātur syntheticiīs patriam īnvīsūrīs nēdum ibidem cōnsessūrīs aliīs aliquandō plūribus umquam nē damnōsī sint potiōrēs? Dēnique, post flexūs errōrēs circuitūsque haud paucōs populōsque aditōs variōs, reperītur commodus autogenīs simul et fictīs tolerātus incultā in regiōne situs vastusque planēta, cui nōndum nōmen; “Vedd-Vā” tamen is vocitātur mox ā terrigenīs dē gente suā atque patrōnō. Vā tamen haud possunt extemplō linquere nāvem. Sēdecim enim mēnsēs exspectandum est biofōrmīs dum caela aptentur pulmōnibus autogenōrum, faustaeque addantur plantae, perlaetificentur terrae, dītentur pelagē, necnōn aequentur conversūs ut sint annōrum tempora firma. Mīra illa exspectāta diēs tandem venit orbī.

Ōstia FŌMEKFis reserantur. Dēdūcuntur
cautē terrigenae, quibus ante vagārī numquam
per tellus licuit sponte. Haerent exteriōrī
partī nunc aliquī nāvis, minimē exspatiārī
audētēs. Persuāsērunt simulāmina mundi
haud satis. Et quōvīs spectant sentītur apertum
caelum perpetuumque solum, simul irradiāns lūx
immēnsa et rēctā ēmānāns ā sōlibus ōchrīs
...lūx cui magnus inest – lūmen dēvergit ad arva –
splendor iam rutilāns, ultrāviolāceus ardor.
Sunt tamen et bene quī valeant fidentius īre
finitimum ad lūcum. Mās ūnus in arborem acūtā
audāx ascendit spectatque diū reverenter
ad longinqua. Alīi plantās palpat, loquitantur.
Sunt etiam multī quī nōndum excēdere possint
ōstia FŌMEKFis. Quibus affatim erit tamen aevī
addendōrum animōrum. Mox trepidant animālēs
multī cōstruere ex illīs quae suppediāvit
FŌMEKF aedēs appositās, nōvisse propinqua,
explōrāre adeō longinqua ac tōta planētae.
Syntheticī permulta ministrant, cōnsiliantur;
attamen ipsī caenigenae cūcta aggrediuntur
mūnera et officia atque labōrēs. Cēditur illīs
arbitrium. Intereā FŌMEKF et VEDD propiōra
ūsarpant aliquot locuplētia sīdera vasta.
Vndique opēs robotīs fossās funduntque novōsque
collēgās pariunt. Īnstillant tunc ratiōnēs
clēmentēs, iūstās ac vīvōrum studiōsās
sīcque programmant ut nequeant hās exuere umquam
nec cupiant valeantve novōs mōtūs animōrum
addere. Syntheticī Vedd-Vā – quī nunc vocitantur
ā multīs “Veddā,” tandem “Veda” nōmine curtō –
custōdēs adiūtōrēsque fiunt biofōrmīs.
Sī quandō autogenī tūtēlam respuere audent,
hīs licet ēmigrāre, suō Marte aut īnstructīs
auxiliō Vedicō, patriamque novam reperīre.
Quī invicem, adāctī vī ēsuriēve, petunt Vedita arva
hīs remanēre licet, dignam regiōnem adipīscī,
sīve planētā prīmum adeuntēs sīve propinquum
sīdus cultum aliquod per caela extenta Vedōrum.
Longinquum rēgnum Poffolgae dīlacerātum
bellīs aerumnīsque diū rixīsque odiīsque
nīl offert magnae cūrae vērīve perīclī
quamvīs sint, ut fit, commūnēs ardaliōnēs
abiectī ingeniū sed sat validī atque potentēs

quī prō parte negōtia magna facessere temptant
tam fictīs Vedicīs peregrīnīs quam biofōrmīs.
Complūrēs alīi tamen ē grege syntheticōrum
Poffolgae ēvādunt longē plācābiliōrēs.
Plūs vexant cōētūs biofōrmārum variārum:
hī in quōs syntheticī comitēs nimium dominantur;
hī valdē īnfēsī cūctōs fictōs metuentēs
vel fictīs diffidentēs, velut ipsa animōsa
prōlēs illōrum Vōrum quī prīdem aliquandō
migrāvēre aliō, nunc sē ostendunt perrārō.
Omnēs, dummodo nē mūtāre aliōs cōnentur,
accipiunt Veda. Mox exemplum mīte Vedōrum
conciliat timidōs valdē īnfestōsque serēnat.
Paucōs, quī rixās fastūs nēdum dominātūs
continuāre volunt, dīmīttit VEDD aliquandō.
Longē autem plūrēs mālunt plācāmina amoena,
angustam līberrātem māiōris habentēs.